



Dissertatio medica inauguralis de nephritide

<https://hdl.handle.net/1874/342121>

19.

D I S P U T A T I O M E D I C A
I N A U G U R A L I S ,
D E

NEPHRITIDE.

Q U A M ,

DIVINA FAVENTE GRATIA ,

Ex auctoritate Magnifici D . Rectoris ,

D . M . JOANNIS LUYTS ,

Philosophia Doctoris , ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ

Ultrajectinâ Professoris Ordinarii ,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicî consensu , Nobilissimaque**Facultatis MEDICÆ Decreto ,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,

Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis
ritè consequendis ,*Publicè disquirendam sifit*

N I C O L A U S S P E C H T , C U L E N B U R G :

Ad diem 14. Junii horis locoque solitis.

T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA , Academiæ
Typographi , clc Icc LXXXVIII.

VIRIS
PLURIMUM REVERENDIS,
PIETATE, AC ERUDITIONE
CONSPICUIS.

D. PHILIPPO SPECHT,

THEOLOGO SUMMO.
MYSTERIORUM DEI IN PAGO OPHEUSDEN
DISPENSATORI FIDELISSIMO.
PARENTI CHARISSIMO.
FILIALI AMORE, ET OBSEQUIO
AD SUPREMUM LETHI MOMENTUM
COLENDΟ, OBSERVANDO.

D. HERMANNO SPECHT

ECCLESIAE,
QUAE CHRISTO COLUMBO
IN INDIA ORIENTALI COLLIGITUR,
PASTORI VIGILANTISSIMO,
ORTHODOXAE VERITATIS VINDICI STRENUISSIMO,
PATRUA DILECTISSIMO.
NEC NON
DOCTISSIMIS CLARISSIMIQUE VIRIS.

D. JACOBO VALLAN.

M. D.
IN ILLUSTRI TRAJECTINORUM ATHENÆO
MEDICINÆ PRAXEOS, ET INSTITUTIONUM
PROFESSORI CELEBERRIMO,
PRACTICO FELICISSIMO,
PROMOTORI VENERANDO.

D. JOHANNI MUNNICKS

M. D.
ANATOMIAE, ET BOTANICES
PROFESSORI ORDINARIO.
REPUBLICÆ TRAJECTINÆ POLYATRO.
MEDICO EXPERTISSIMO.
PRÆCEPTORIBUS MEIS ET DOCTORIBUS FACILLIMIS SOLERTISSIMIS
OMNI HONORE, ET OBSERVANTIA PROSEQUENDIS.
FRUCTUS HOS
MEMORIS BENEFICIORUM ANIMI INDICIO
OFFERO, ET CONSECRO.

NICOLAUS SPECHT.

anno mcccxi ad obitum eiusdemq[ue]

PROOE M I U M.



Ti ab omni aeo in Republica tot calamitates, & morti
pestiferi, ejusque inerium ante senium quasi, ac prater
eratis cursum minantes viguere: Ita & in corpore hu-
mano in vasto morborum oceano luctuante. Totus vero
homo nil nisi morbus est. Tenellus ipse infans in utero
materno sua experitur fata, vel morborum myriades,
dolorumque phalanges in illius, dum in uteri ergastulo
detinetur, conjurant perniciem. Cum felici enixu li-
beriori aurâ frui incipit; quot non molestiis, velui ma-
lorum primitiis affligitur, & à miseriariis, malorumque excipitur catervâ!
qua ipsum ad extreum usque vita terminum comitatur. Atque adeò, uti bo-
ni Magistratus est, cum auxilia Reipublica labefactari, convellique consideret,
ferre opem patriæ, succurre saluti, forunisque communibus. Ita & prudentis
Medici, cum, quantopere nostra atas sit malignis oppleta morbis, videat, sub-
sidia ferre caduco hominum generi, omnemque luem vitreae hominis vita insidian-
tem strenue propulsare. Quare si non consultò satis, certe non prorsus inutiliter
meam operam collocasse videbor; ut miserrimæ humanae societati, quantum in me
est, subvenire possem. Ne autem illoris (quod ajunt) manibus tantum negoti-
um aggredi videar, Celeberrimorum virorum examini, & disputationis crisi
me subjecere constitui. Quapropter ventilationis gratia mibi ex tam immensa ca-
lamitatuum congerie istam selegi, quæ doloris acerbitate, symptomatum in identium
magnitudine, interceptione humorum excernendorum agros in exitium precipitat;
NEPHRITIDEM inquam, diram ac truculentam hominis carnificinam,
cujus contemplationem, si non pro materie dignitate, saliem pro viribus planior-
rem aliquantulo reddere est animus. Interim omnes, si que occurrant cruda, &
non ex imis subsellis Literatorum petita, rogo, ut equi, bonique consulant.

Secundet itaque summum Numen nostros conatus, votisque adspiret, ut om-
nia initia cedant ad nominis sui gloriam, & proximi salutem.

D I S P U T A T I O M E D I C A
I N A U G U R A L I S ,
D E
N E P H R I T I D E .

§. 1.



Ephritidis nomen (ut ab origine vocis ortum faciam) oriundum descendit a Græco vocabulo *νεφρός* ren. unde Latinis *morbus renum* belgis *Nier-wee* / Germanis *Nier-sucht* dicitur. Vox hæc quamvis de *renum inflammatione* magis dicatur: attamen etiam pro *renum affectu a calculo, arenulise orte sumitur; notante id Hieron. Mercurial. in p[re]lect. in Hipp. aph. III. 31. & VI. 11.* atque ut plurimum sub cālæsione apud auctores describitur: quia alios *renum morbos* doloris magnitudine superat, cruciatasque vehementiā cæteris anteponitur. Sub qua vocis significatione *Nephritis* nostri instituti erit.

§. 2. Describi ità poterit, quod sit *morbus renum a calculo, vel arenulis in illorum substantia vel sinibus concretis ortum trahens, dolorem, aliaque gravissima symptomata producens.*

§. 3. Profluit hinc afflictam hujus morbi partem esse *renes*, quorum brevem reddere notitiam, antequam eorum læsionis modum aggrediamur, haud inutile videtur: quia, ut statum præter naturalem quis cognoscet, naturalem scire oportet. *Renes* numero *bini* sunt; ut læso uno alter officium præstare possit. *Sunt* sub hepate, & liene cavitate suâ ad venam cavam, & arteriam magnam. Summis adhærent lumbis, musculorumque capitibus, quos *l[igamenta]a* appellarunt, primos femur flectentes, incumbunt. Hi non ex diametro sibi invicem opponuntur, sed unus altero fere semper elatior: dexter enim depresso propter hepatis magnitudinem, sinister altior propter loci vacuitatem. Sæpe tamen ambo altitudine æquales deprehenduntur; non nunquam dexter superior sinistro. Connectantur per membranam a peritonæo largitam lumbis, & diaphragmati, per emulgentia vasa cavæ, & aortæ, per ureteres vesicæ, & singulatum dexter intestino cœco, & jecori quandoque, sinister vero lieni, & colo. *Obvolvuntur* duplice membranâ, unâ laxè a peritonæo, seu ejus duplicaturâ, unde *fascia renalis* dicitur, multâ pinguedine stipata; alterâ artissimè a tunica externâ, & communi vasorum ingredientium dilatata. *Figurâ* Phaseolum exactè referunt, oblongi, superiore parte latiores, quam inferiore, anterius, & posterius compressi, exterius Gibbi, interins cavi, at inæquales ubi vasa admittuntur. *Substantia* sunt prædicti constante partim ex innumeris minimis glandulis rotundis, veluti

I N A U G U R A L I S.

veluti piscium ova, connexionem talem cum vasorum emulgentium ramis habentibus, ut ab interioribus, & exterioribus partibus reflexis, & in multiplices surculos propagatis adnascantur, ipsique appendantur, uti poma ramulis arborum: quibus nervi ex plexu inter costali mesenterico orti conjunguntur: partim ex canaliculis membranosis seu urinæ vasis excretor iis a *Malpicio* ope microscopii detectis, quæ minimis illis glandulis (ut ipsi probabiliter censetur) correspondent; a quibus exorta superato vasorum arcu recta versus centrum petunt, & veluti in fasciculum recollecta in distinctas papillas seu carunculas papillares desinunt. Hæ in pelvim protuberantes hiant, & ab ejusdem tubulis excipiuntur, sicut ut plurimum ad duodecimum usque numerum ascensu compleat, & conjuncti communi concursu pelvim seu sinum illum membranosum constituunt, qui extra renes ex porrectus ureteres præbet. Hi communiter numero duo seu gemini; utrinque unus. *Figuræ* teretes. Componuntur ex crassâ, densâ, ac nervosâ membranâ, quam obducit altera a peritoneo mutuata. *Emergent* ex reductâ renum parte, & flexuose super musculos lóas in coxarum regiones, protenduntur; unde mox in vesicæ latera retorquentur, eaque subeunt, non quidem directè, sed oblique: Ne, si directus pateret ingressus, qui in vesicæ capacitatem inciderat humor, retro compelli, regerique facile posset.

Renes ita naturaliter constituti *secretioni* seri à sanguine superficii sunt dicati; ad quam præter renum structuram, & præcipue glandulas, quarum ministerio totum hoc subsequi rationi consonum videtur, requiritur perpetua sanguinis fermentatio, quæ solutæ, & liberiores reddite salinæ, aquæ &c. Particulæ facilius occidente structurâ excipiuntur, & à residuo separantur, quæ separatae transmittuntur per vascula urinaria desinentia in carunculas dictas papillares, ex quibus à tubulis exceptæ, & ad pelvim delatae, ulterius per ureteres progrediuntur ad vesicam uninariam.

§. 4. Actio autem hæc quamvis variis de causis inminui vel aboleri possit, magis tamen frequens a *calculo* vel *arenulis* substantiæ vel sinibus renum infarctis, ureteresve obstruentibus: de quorum generatione, & concrecendi modo plurimæ apud auctores dantur dissensiones, quas persequi brevitatis studium non permitit; adeoque pauca e multis dictis ex pediam. Causari hanc concretionem recte dicitur *sal* quoddam (*Sennert. spiritum lapidificum. Helmont. duelech. Charleton* spiritum gorgonicum nominat.) *volatile*, & *exaltatum* instar spiritus salis armoniaci: quippe urinæ calculorum, & calculi recenter extracti talem odorem spirant, & per distillationem resoluti plurimum volatilis, & parum salis fixi reddunt. At *sal* hoc solum *calculorum arenularumque* productioni insufficiens videtur, nisi concurrat subiectum seu materia habilis, quam *serum sale tartaroque* imbutum consistuere arbitramur, quæ facile aquæ adjunguntur, uti videre licet in confectione

muriæ, & aliis præparationibus : patet enim hoc ex generatione calculorum variis in corporis partibus, cuius exempla abunde apud auctores exstant: dum serum ubique deferri, & permeare potest. Ità & ex concretione lapidum in macrocosmo, qui olim fuere corpora fluida, vel mollia, & accessione vel exaltatione cujusdam jam inexistentis spiritus petrificantis in formam lapidum sunt redacta. Ut notat doctissimus Boyle in tractatu de origine, & virtutibus gemmar. Ità ut hic serum unà cum particulis salinæ & tartareis materiam arenularum, & calculorum suppeditare recte statuatur, quæ facilè locis, quæ pervadunt, adhærescant, vel in iis subsistunt, (ut patet in macrocolmo, in quo aqua lutoſa ſabulum, & tophos gignit) & à volatili, exaltatoque particularum salinarum, earumve inſitâ concreſcendi aptitudine, quam videamus in concretione tartari juxta dolium, & confectione crystalli tartari, ſaliumque plantarum, in lapideam duritiem rediguntur.

§. 5. Ad concretionem hanc plurimum faciunt *cauſe remote*, quæ conſiderandæ veniunt vel ut occaſionem ſeu præviam ad malum diſpoſitionem præbentes, quæ *prædiſticti*, vel ut ſuo impetu latentem incorpore cauſam in actum morbiſicum deducere aptæ, quæ *ācoppiaſi*.

§. 6. *prædiſticti cauſa* omnes internæ ſunt, & quærendæ in ſanguine, humoribus & partibus solidis. *Sanguis*, & *humores*, hic potius *qualitate*, quam *quantitate*, & *motu* peccant, & quidem *ſalinæ*, *tartareæ*, *terreſtri*; & *vifcidæ*, ex mala præcipue concoctione ventriculi, aliorumque viſcerum depravatæ actione productæ: quippe ventriculi actione ritè procedente chylus laudabilis, volatilisatus, & ab excrementiis ſuis partibus liberatus generatur; ità ut corpori noſtro utile, ac purum alimentum suppeditare poſſit. Ubi vero hæc operatio depravatur chylus crudus, ac multis *eruſis* *tartareiſque ſuccis* luxurians ad ſanguinem, & humores adſertur, iisque actiones, & ſecretiones cæterorum viſcerum & glandularum, alterando, & immutando ſimilem naturam inducit: Hinc crudus ille ſanguis & multis particulis *ſalinis*, *tartareiſque* abundans ad renes defertur, quæ accedente *nativa renū* *imbecillitatē*, vel singulari diſpoſitione jure hæreditario eis imprefſa facile ſubſiſtunt, & ad coagulationem, atque concretionem tendunt: *Renū* enim *nimiris angusta* circa ureters *coagmentatio* liberum ſcreti ſeri tranſitum impedit, cuius tunc tenuiore parte per colationem ablatæ *ſaline tartareæ*, & magis fixæ particulae remanent, & à vi ſaliſ fixativâ coagulantur. *Nimia* autem *vasorum emulgentium*, & ex parte *renū* *laxa* *conſtitutio* *vifcidis* humoribus aditum admittit, quibus *ſaline tartareæque* ſeri particulae ad ſe invicem conjunguntur, vel *calculo* vel *arenulis* jam in *renū* ſubſtantia, vel cavitatibus ſubſiſtentibus agglutinantur: undè continuo augentur, & yariam figuram magnitudinem, conſiſtentiam, & ſimilia acquirunt.

His addatur atas generationi calculorum magis anſam præbens. Ità adulatio-

tiores, & senes plus, quam juvenes aut pueri *Nephritis* sunt obnoxii. *Galen. lib. de renum affect. dignot. cap. 2.* Quamquam nulla *etas*, imo & nullus *sexus* ab ea immunis sit: Ratio tamen, & anatome nos docet vias urinarias in pueris præsertim grandioribus ob blandum calorem, & humiditatem laxiores, & ampliores esse quam in senibus, qui cum totum corpus siccus obtineant, vasa renum, & ureteres, partesque membranosa sicciores ac proinde augustiores habent.

§. 7. Ἀφορμαὶ in ἑξ rebus non naturalibus consistunt, quae amplum in corpus exercent dominium; adeò quidem, ut ab ipsis tota fere dispensari videatur sanitas. Inter illas primum locum sibi vendicat *Aér*, quo non potest causa esse universalior cum bonae valetudinis, tum morborum: Purus enim *aér* optatæ valetudinis, corruptus vero morborum parens. Quot non *aéris* diversas quotidie, & e variis influxionibus perversas sentire solemus particulas! quae e solo substrato, aut solo affluente mediante solarium radiorum vi elicatae, & corpori nostro communicatae totam ejus constructionem, systematicque universi conditionem immutare possunt. *Crassus* imprimis, *humidus*, & *nebulosus* in corpore magnam alterationem excitat, fermentationes destruit, *νεφρόν* sanguinis & humorum turbat, spiritus torpidos, & sanguinem fæculentiorem reddit. Imo & magnam considerationem meretur, qui multis *particulis salinis* abundat, præsertim in locis ad ora maritina sitis.

Aéri succedit *cibus & potus*, qui si non majorem saltem eandem cum *aère* vim obtinent sanguinem alterandi, nec non fermentationes prosternendi: nam, (ut recte inquit *Fernel. lib. 1. path. cap. xiv.*) *Cibi* *potisque* vitia morbis gignendis pabulum materiamque suggerunt, e qua morbi interdum sponte emanant nullo evidentiis causæ impulsu, ubi ab *aère* vel aliis causis evidentiibus morbi vix ulli excitantur, nisi consentiat corporis prædispositio, & humorum constitutio. Si hæc tota ex cibo & potu profecta est, maximam hispane in gignendis morbis vim obtinent. *Qualitate* vel *quantitate* peccantes neque integrè concoqui neque in bonum sanguinem verti possunt, sed plurimas cruditates cumulant. Cæterum *Cibi* huic affectui ansam præbentes plurimum salis, austeri & terrestris succi continent. Inter eos à veteribus lac refertur, *Hipp. lib. 1v. de morb. ob caseum*, quem *Galen.* etiam culpat. *vi. epid. com. 3. 15.* sed in nullo plus terrestris & salinæ materiæ, quam in veteri. Sub eadem classe sunt fructus immaturi, austeri, acerbi, ut *mespila*, *cydonia*, *castaneæ*, *fungi*, item & tubera. Carnes animalium *crassum*, & terrenum chylum præbentes, ut *suilla*, *bubula*: imprimis sale, ac fumo induratae. Pisces muriæ conditi, vel siccati. Aves lacustres &c. *potus* impuriores non ritè defeccati. Vina immatura, austera, nigra, *crassa*, imprimis mustum, cerevisia recens, & fœculenta, nec non aquæ turbidæ, palustres &c. insigne de his locus apud *Hipp. lib. de aere, locis, & aquis Sect. xxI.* Hisce jam

con-

considerandus succederet cibis utendi *modus*, sed ad diæteticos scriptores curiosum lectorem dimittemus, & ad somnum vigiliasque pergemus.

Somnus ergo, & vigilæ meliorum vitæ humanæ partium jucunda, & debita vicissitudo, qua delassatum corpus a labore avocamus, & refectionem ad labores reducimus. Si invertatur, aut interrumpatur, etiam valentibus aliquid grave breviirruentes morbos minatur. Hipp. aph. 11. 3. & 11. 71. *Somnus enim longior, aut inordinatus omnes sensuum mentisque vires torpidas reddit, functiones animales infringit, crudos humores, omnisque generis supervacanea cumulat. Vigilæ contra nimia, quatenus spiritus exhauriunt, calorem nativum dissipant, magnum faciunt cruditatum proventum.*

Cum his pari fere passu ambulant *motus*, & *quies*, omnis enim agitatio corporis nimia vigiliis quiete sociatis noxior; hanc vero si vigilæ comitentur, major noxa sequetur. Sic vita deses (quam hic per *quietem* intellegimus) totum hominem reddit languidum, quam si somnus obrepat, res in pejus verget.

Ad eundum offendunt lapidem, quibus *retinenda effusæ* ex cernuntur, ut mensium, Hæmorrhoidum, alvi &c. evacuationes nimia. Nec periculum evitabunt, quibus *excernenda* retinentur: hæc enim partim sanguini confunduntur, vel refunduntur, partim aliis ab eo secessuris obstaculo sunt, ex quo inutiles humores in corpore congeruntur.

Non autem excludenda *animi pathemata*. Quid varii animi affectus in sanguine, & humoribus alterandis possint, satis ostendit curiositas ipsa Sanctorii, in medicina sua statica. S. VII. Rationes vero quare, & modos quibus id efficiunt, hic tradere longum nimis foret. de his videri potest *Cartesius lib. de anim. passionibus*.

§. 8. Ultimo considerationem merentur *res non naturales non necessario* nobis obvenientes, eæque tam *arbitrariae* quam *fortuitæ*. Ad *arbitrarias* referuntur, vel *ambientia*, ut vestimenta nimis densa & arctiæ cincta; æstuaria, balnea. Vel *amissa*, ut venus effrænata, purgationes frequentes, & vehementes, sanguinis evacuationes immoderatae per V.S. &c. Vel *acta*, ut corporis exercitationes excedentes, succussariæ, equitatio, saltatio, decubitus in lecto supinus. Vel *assumpta*, ut medicamenta, venena &c. Ad *fortuitas* referunt contusiones, casus, vulnera, &c. De his vero causis notandum occasionales tantum esse, præ dispositionem requirere, neque necessario calculos, vel areculas producere.

§. 9. Tantum de causis, nunc *differentiae spectandæ* veniunt. Quare ratione *morbi Nephritis* alia est *hereditaria*; alia *adscititia*, illa locum habet. ubi a parentibus in liberos propagata est, hæc, cum propter nativam renum imbecillitatem, vel causas nonnaturales superius enumeratas oborta est. Ratione *partis affecte*, siquidem interdum *unus tantum*, interdum *ambo renes* afficiuntur. Denique ratione *causæ*, ita ut sint *aronula* vel *calculi*, qui ab

in vicem dirimuntur *numero*; quod vel unus, vel plures sint, prout materia simul juncta concrescit, vel in plures partes seu plura loca dispergitur. *Magnitudine*, cum alii sint parvi, alii mediocris magnitudinis, alii etiam permagni, pro majori, vel minori materiæ copiâ, ex quâ procreantur. *Colore*, sic alii sunt albi, alii cineritii, alii rubri, alii stavi, alii subnigricantes, pro varietate, & admixtione materiæ, ex quâ constati sunt. Unde patet non sequi calculos rubros semper in renibus, albos vero in vesicâ gigni. *Figurâ*, alii enim sunt longi, teretes, alii sphærici, alii lati, & ad latera utrinque compressi, alii obtusi, alii acuti, alii aliam obtinent figuram, pro varietate foci seu nidi, in quo concrescunt, & coagmentantur. *Ratione substantiæ*, quo nomine calculi sunt vel solidæ, densæ, compactæque, vel fragilis, spongiosæ, laxæve substantiæ, pro intensiori, vel remissiori vi salis coagulativâ. *Superficie* unde hic levis, alter asper, tertius unâ parte levitatem, alterâ aspredinem sortitus est; prout æqualiter, vel inæqualiter materia constituta est, vel syn-nagmati indies apponitur. Postremo *loco*, dum nimirum alii in ipsâ renum substantiâ, alii in eorundem sinubus generantur, uti testatur *Forst. lib. 24. obs. 16.*

§. 10. Perspectâ huic usque hac rerum facie, *symptomata*, utpote interioris occultique morbi, a quo fluunt, conspicua, & expressa signa ut consideremus tempus monet. Inter ea primo sese prodit loco *dolor fixus*, & stabilis, qui in lumbis, quibus adhærent renes, percipitur, modo in latere dextro, modo in sinistro, modo in utroque; prout in alterutro renum, vel utroque calculus, vel arenulæ substite-rint. Iisque ut plurimum *gravatus*, quamdiu substantiæ seu carni renum obtu-siori sensu donatae inhærent. Ubi vero ad partes magis membranosa nerveasque tubulos scilicet, pelvim, vel ureterem, exquisito sensu prædictas accedunt, *dolo-reum acutum, pungentem, imo & dolores partus* (ut ajunt) *excedentem excitant*. Oritur hic *dolor* ex irritatione, & nimiâ distensione partium membrinarum, & nervosarum a calculo vel arenulis productis, quæ vix sine aliquâ ruptione fibrillarum *hoc est* continui solutione accurate loquendo percipi pos-sunt; unde tristis idea mediantibus nervis fibrillis intus tensis extensisque constantibus menti repræsentatur. Calculus jam in renibus existens si eorum actio-nem vitiat, & quodammodo transitum secreti seri impedit, *Urina paucâ, cruda, tenuis, & aquæ excernitur*. Cum vero se propter equitationem, ambula-tionem nimiam festinum per scalas descensum, vel aliam quamcunque exercita-tionem vehementer movere incipit, & simul asper sit; *primum urina subrubra, mox ubi angustiam papillarium processuum perrumpens tenerima vascula dilacerat, cruenta fere ejicitur*. At jam expulsus erenum substantiâ, nisi ureterem obstruat, *urina multa turbulenta quandoque cum exiguis filamentis, multisque arenulis existit*. Hæ autem *scorbuticis* probè distinguenda sunt. *Scorbutica* non itâ fundum petunt uti *Nephritice*, sed urinæ calidæ permixtæ manent, nec

vix in ea conspiciuntur; postea vero refrigerata urinâ concrescunt, & undique vasis lateribus adhærent. Præterea digitis contritæ in mulcuginem absunt, cum *Nephritica* duræ sint nec itâ friabiles. Quod si calculus præ magnitudine ureteri inhærens permeare nequeat, *Urine suppressionis* causa evadit. At non solum hæc modo enumerata calculus in renibus, vel in reteribus moram trahens efficit, sed etiam (præsertim grandior) comprimendo nervum musculi *læsi* dicti, flexionique crurum dicati, cui renes ac ureteres incubant, *torporem cruris*, quod est e directo renis laborantis, producit; qualem percipimus, si femur alterum alteri diutius imponamus, vel dum diutius alterutri cubito innitamur. Ita similiter renes, eorumque membranas, vel ureteres torquendo, & distendendo propter consensum vasorum lumbis incumbentium cum iis, quæ ad partes inferiores tendunt, in viris *testiculum*, in mulieribus *partes inferiores* lateris affecti ad superiora quasi retrahit.

Uti hospes hic exosus in medio positus tragædias suas ad inferiora exercet, sic etiam ad superiora: nam cum (existente magno consensu inter ventriculum & renes propter nervum paris vagi, cuius rami a stomacho reflexi in plexus renales feruntur) renes a calculo, vel arenulis laciniantur, pariter vellicantur nervi stomachici, unde ventriculus accedente inordinato ac impetuoso spirituum animalium influxu in fibras ventriculi constrictorias, & imprimis orificii inferioris ad expellendum quod molestum est irritatur, atque sic primo *nausea*, deinceps *vomitus*. Hinc *alvus* fere semper *adstricta* est, ita ut vix flatus emitte possit, totâ naturâ inverso intestinorum peristaltico motu ad superiora veluti deductâ.

§. 11. At cum nausea & vomitus, imo alia pleraque *Nephritidis* signa *colico dolori* tam exacte convenient, ut hi duo affectus sese mutuo fraude tam occultâ mentiantur, & vix unus ab altera distingui possit: operæ pretium videtur afferre signa quibus alterum ab altero discernere liceat; ut cuique propriis remediis occurri possit, licet in primo paroxysmi insultu, ubi dolori supra modum fæventi potissimum obvertenda est Medicina, inter *colicum dolorem* & *Nephritum* de auxilio satis convenient: ita ut quæ huic prodeesse, illum etiam juvare queant subsidia. Temporis tamen progressu, & invalescente morbo dispares indicationes emergunt, remediaque diversa postulantur. Distinguuntur autem secundum auctores ratione loci dolentis, symptomatum, & excretorum. Itaque ratione *loci dolentis*, quod dolor nephriticus plerumque fixus, & stabilis in lumbis percipitur, eo in loco, quem cubitus deflexus demonstrat, isque profundior magis versus lumbos vergens. Colicus vero magis ad anteriora, sëpe peregrinatur, locum mutat, & per totum intestinorum circuitum oberrat: fixum tamen se observasse refert *Riverius* obs. 38. Cent. 11. Ratione *symptomatum*, sic dicitur in *nephritide* dolorem esse perorantem, in *Colico* laciniantem, quem peritissimi vix distinguere possunt. At in

in *Colico* rarissime observatur dolorem exacerbari, ubi ægri se subito ab uno latere in aliud convertant, quod in *Nephritide* familiare, præsertim calculo in pelvi existente. Ita etiam rigor totius corporis ubi calculus substantiam renum pertransit, & ad eorum membranas, pelymque accedit. Sic rarissimè in *Colico* urinæ omnimoda suppressio, vel cruenta mictio est. Imo & impeditus cruris alterutrius motus, & retractio testiculi in viris, in mulieribus partium inferiorum quasi ad superiora. Ratione excretorum, sic sæpe ab arenulis vel calculis excretis levamen sentitur in *nephritide*, quod minime in *Colico*. E contra in *Colico* ab excretionibus per alvum, & vomitum majus levamen sentitur quam in *nephritide* teste *Riverio Cap. i. lib. x.* Atque adeò dum signa utriusque affectus sibi tam affinia sint, signa plurimùm jungenda sunt, ac syndrome præcedentium consequentium, conspirantiumque opus est. Medici tamen peritissimi non raro in eorum distinctione errare possunt,
 „quod ipsi Galeno contigit de se ipso id candidè confitente *lib. ii. de loc. affect.*
 „*cap. 5.* Hisce verbis, memini mihi ipsi accedisse dolorem vehementissimum,
 „ut videre mihi viderer in intimo ventre terebro perforari, eo potissimum
 „spatio, per quod a renibus ad vesicam ureteres scimus extendi. Clystere
 „injecto excrevi simul gravissimo cum dolore humorem vitreum: equidem
 „putabam lapidem in altero rene impactum; adeò erat (ut mihi videbatur)
 „doloris ipsius species perforanti similis: atque vacuato humore, doloreque
 „sedato, manifeste constabat lapidem causam non fuisse.

§. 12. Cæterum distinguenda *Nephritis* ab *inflammatione renum*, cui etiam ferè omnia adsunt symptomata, quæ *nephritidem* comitantur. In hoc autem *renum phlegmone* differt a *nephritide*, quod illi semper sit conjuncta febris, huic verò minimè aut rarissimè, nisi ob ingentes dolores, & perturbationes sanguinis, & humorum accedat. Porro dolor in *renum inflammatione magis continuus*, & pulsanti similis, in *Nephritide* vero magis interpolatus seu periodicus. Deinde ardor ingens posticè, in eo, quod ab extremis costis ad coxendicem extenditur, spatio sentitur, qui *Nephritidem* non comitari solet, nisi præ ingenti afflictione excitetur simul inflammatio.

§. 13. *Prognosin* quod attinet morbus sanè valde periculosus est, ut rectè inquit *Riverius*: gravissima enim mala, ut *inflammationem*, *exulcerationem*, dolores atroces, vigilias, virium dejectiones, febres, urinæ suppressiones, aliaque symptomata pernicioса inferre consuevit. Si cum ulcere *renum* conjunctus sit calculus difficillime curatur: nam ad ablationem calculi extenuantibus, ad ulceris vero curationem incrassantibus, & emplasticis opus est. Quibus hæreditaria in renibus calculosa dispositio est, vix unquam sanantur, adscititia majorem spem curationis portendit. Renes ubi affecti sunt (inquit *Celsus lib. iv. cap. x.*) diu male habent, difficillimæ vero curæ in senibus est. *Hipp. aph. vi. 6. & vi. epidem. sect. viii.* *renum* inquit mor-

bos non vidi sanatos supra quinquagesimum annum. Ita *Erasmus lib. epist.*
 „xxi. ad *Christophorum Episc. basil.* ait, *feminae sterilescunt aetate, me se-*
 „*nectus reddit foecundiores*: aut enim concipio, aut pario, aut parturio.
 „*Sed partus est viperinus*, & vereor ne quando parentem interimat. Certe
 „*femel*, atque iterum gravi periculo sum enixus. Quod si parum favente
 „*Junone, vel Lucinam niti coepero*, vixerit Erasmus. Majorem difficultatem
 præbet calculus major, (si cognosci possit) præsertim in principio sci-
 licet ubi æger eo anteà nunquam afflitus fuerit ob angustiam ureterum.
 Qui vero sæpius calculos excrevere levi negotio iis liberantur; nisi sint justo
 majores: nam ureteres femel a calculo ampliati iterum nunquam concidunt.
Helmont. in supplement. paradoxo numero critico. Rotundus & levis modo
 sit parvus facilius excernitur, difficulter qui alia quâcunque figurâ præditus,
 præcipue oblongus, & simul asper. Si vero uno ramo pelvi, altero Ure-
 teri infarctus difficillime curationem admittit. Periculoso valde ubi cal-
 culus sibi exitum per lumbos querit. (*Tulp. obs. 28. lib. iv. & Roonbuyser*
obs. 28. part. 1.) Imo & valde molestum ubi per inguina; (*Stalpert vander*
Wel obs. 91. 92.) solutio enim vix curari potest, propter continuum extil-
 lationem seri. Difficultatem auget mictio cruenta, vascula enim erupta signi-
 ficat. *Hipp. aph. IV. 78.* at in extremo versatur periculo, ubi per aliquot
 dies urina omnimodiè supprimitur: nam si serum denegato transitu ad va-
 sa majora regurgitet, & cerebrum præcordiaque opprimendo difficulta-
 tem spirandi inducat, æger lumine adempto animam corpore moribundo
 fundit.

Solutionis vero spem portendunt urinæ, quæ primum tenues, postmo-
 dum vero crassæ apparent, & arenulæ, vel lapilli in fundo resident, remit-
 tentibus simul symptomatis. Si materia tartarea, Salina alio avertatur bo-
 num. Ita videmus (inquit *Beverovicus lib. de calculo*) qui solutiore alvo
 sunt, minus hoc malo infestari, quam quibus venter adstrictus. Sic arthri-
 tis *nephritidæ* succedens, quoniam ferè eadem est utriusque materia, non ra-
 ro ægrum à priori morbo liberat. At redundante nimium materiâ sæpe utri-
 que subsistunt. Sic nephriticis supervenientes hæmorrhoides bono sunt. *Hipp.*
aph. vi. II.

§. 14. Iis, quæ ad *nephritidæ* indolem plenius cognoscendam pertinent,
 traditis, ad ipsam hujus morbi *medelam* recto nunc pede procedimus, niti-
 tur autem *medela* indicationibus suis, seu fulcris firmissimis. Earum prima
Curatoria est, in qua primo respiciendum, ut *dolori* utpote symptomati
 valde urgenti, cum sæpe tanta feritate in luctuosum ægrum sœviat, ut per-
 petuis vigiliis spirituumque exhaustu eum in manifestum vitæ discriminem addu-
 cat, maturè medentis consilium obvertatur, illequè tollatur, atque jucunda,
 amica, ac debita sensatio menti concilietur; quæ obtineri nequit, nisi amo-

to, seductove, quod eam impedit: quare viæ emolliendæ, patulaque redendæ, atque sic *arenula vel calculi* expellendi; quod si præ magnitudine vel inæqualitate præstari nequit; comminuendi, & simul ad excretionem propellendi. Altera *præservatoria*. Hæc causarum *calculatorum*, & *arenularum* productionem efficientium generationem prohibet, vel admissionem corrigit per medicamenta materiam, salinam tartaream & viscidam abstergentia, renesque roborantia.

§. 15. *Dolori* itaque prospiciens medicus, ut infimi ventris proluvies, ne intestina sordibus tumidâ afflictum comprimant renem, confessim eluatur, emollientem, leviterque educentem *clysterem* mox injiciendum curet. Materia remedii sit, ex decocto communi pro clysteribus ad $\frac{3}{4}$ vij. admiscendo mellis com. vel arundinacei $\frac{3}{4}$ j, salis com, $\frac{3}{4}$ j. at ubi alvus à viscidis adstricta sit, fœcesque subsistant, fortior reddi potest additione loco mellis elect. hieræ picræ & diacathol. ana $\frac{3}{4}$ ʒ, vel aquæ benedictæ *Ralandi* $\frac{3}{4}$ ʒ, vel $\frac{3}{4}$ j. dein scubulis subductis, ut membranæ tensæ laxentur, viæque urinariæ amplientur, immittantur clystres emollientes ex lacte dulci cum vitellis ovoidum, & saccharo, juscuso vitulino, vel vervecino, oleo amygdalarum dulcium, raparum, lini, liliorum, chamœmelino, rutaceo &c. qui pro rei necessitate sèpius reiterari possunt. dolor vero si valde urget, clysteribus anodynæ admisci possunt.

§. 16. Post clysterem ubi turget materia in initio (*Hipp. apb. I. 22. & v. 10.*) & copia abundat, lenis *purgatio* (fortis enim hic locum nequaquam invenit, sed pari odio ac venena hominis vitæ lethales struentia abominanda) remittente aliquantulum dolore exhibeat, ut eâ emendetur copia, alvusque aperta servetur: hunc in finem convenit ptisana laxans *Riverii*, vel infusio folior. fennæ $\frac{3}{4}$ j. iiʒ. cum cerevisia tenui, vel aqua calida, eo modo quo infusio fit folior. thee, addito simul tartaro vitriolato parva in quantitate, & saccharo, vel quod ʒ. resin. jalappæ vitell. ovi solut. gr. x. xii. vini albi $\frac{3}{4}$ j. sacchar. claris. $\frac{3}{4}$ j aquæ cinamoni $\frac{3}{4}$ j m. f. haustus. Hæc si rursus propter *nauseam*, & *vomissum* hic ut plurimum comitantem evomuntur, exhibeat in forma boli, vel consistentiæ solidioris. Sic *rhababar. pul-* verisatum in parva quantitate seu $\frac{3}{4}$ ʒ. cum conserva rosar. pallid. vel therebinth. Veneta. pulpæ cassia, tamarindor, prunorum acido dulcium recenter extraæta. elect. diaprun. sol. de succo rosar. &c. At si hæc nihilominus præ dolore rursus magis urgente, & contractione ventriculi ad superiora iterum ejiciuntur; natura in suo conatu parum juvanda levioribus magnâ in copiâ haustis, ut sunt aqua tepida cum oleo communi, amygdalar: dulcium, vel butyro, jura pinguia, oxymel scyllit. &c.

§. 17. Ventris sarcinâ hisce maturè deoneratâ, proximus erit *Phlebotomia* locus, iis tamen unicè celebrandæ, quibus ex sanguinis corpus undique circum-

fluentis pleonasmo, vel orgasmo præ doloris ferociâ afflitti *renis inflammatio* impendet, minime interim neglecto virium tenoris consilio. Mittendus autem erit sanguis e venâ secundum rectitudinem remotissimâ à parte affectâ, brachii scilicet, quod e directo respondet magis affecto reni: ad eam vero quantitatem, quæ præsenti Medico consideratis cum judicio rebus omnibus necessaria visa fuerit. Vel secunda vena in pede (præsertim mulieribus passione hysterica obnoxiiis, vel catameniis suppressis laborantibus, vel mensibus instantibus) alterutro, si alter ex renibus plus altero labore, aut in utroque, si ex æquo renes affecti sint: à quâ V. S. magnum levamen secutum fuisse testatur *Riverius Obs. 15. Cent. 1.* Si vero hæmorrhoides in assuetis sint suppressæ, *hirudines venis hæmorrhoidalibus apponantur.*

§. 18. Hisce adjungenda, quæ exterius *parti dolenti* adhibenda sunt. ut *fomenta*, & *linimenta*, ut nihil hic non moliamur, quo membranæ laxentur, viæ amplientur, & cruciatibus adferatur levamen. Paretur ergo *fotus ex radic. altheæ, cucumber. asinini, lilior. albor. herb. absinth. artemisia, ruta, cherefol. petrosel. althea, malva, violar. verbasc. mercurial. summit. anethi. flor. camomill. sambuci, meliloti. sem. lini, fœnugræci, anisi, carui, cumini &c.* Pro forma sit sequens.

℞. rad. altheæ, cucumber. asinini aa. ȝj.

herb. malvæ, bis malvæ violar. absinthii aa. mjß.

flor. chamœmel. meliloti, sambucia aa. mj. sem. cumini ȝvj.
coquantur in S. Q. aquæ comm. vel cerevisiæ tenuis, & vini albi
aa. part. æqual. ad ijij.

hoc decocto calente spongia immersa, & leviter expressa, semel, atque iterum lumbis dolentibus applicetur.

§. 19. Fotum hunc occulta cutis spiracula dilatantem excipiat usus *linimenti*. Materiam suppeditant unguent. Agrippæ, martiatum, altheæ, aureum. Oleum laurin. Palmæ, anethi, chamœmel. absinth. mastichin. scorpionum, nervinum, rutæ, verbasci, laterum seu philosophor. therebinth. spicæ, ceræ, &c. Præstat quod

℞. unguent. martiatum, altheæ aa. ȝj.

ol. mastichin. ȝvj. scorpion. ȝij. ceræ stillat. ȝij. misce.

§. 20. Ita etiam *cataplasma* parti dolenti imponitur, quod confici potest ex residentia decocti cum farina fabar. fœnugræci, oleo anethino, chamœmelino &c. Imo & linum crudum, vel coctum, & in fasciculum recollatum. At circa horum (præsertim etiam fomenti) usum notandum, ne insensibilis transpiratio, præsertim ubi metus inflammationis est, prohibetur, quod sëpe fit ære existente frigidiore, imprimis tempore hyberno, dum ea nimis cito refrigerunt: tunc potius *emplastrum* usui venit, illudque fit

fit ex empl. de mucilag. & melilot. cum oleo anethin. vel chamœmel. vel potius therebinth. malaxato, & in corio extenso.

§. 21. Quod si istorum omnium præsidiorum usu dolores non remittant, in *semicupium* demittendus æger, ex herbis emollientibus, & discutientibus superius enarratis confectum; inque illud moderatè calidum per unam, alteramve horam collocandus. ad eundem finem (*Riverius obs. 3. com.*) thermæ usurpantur.

§. 22. Interim minime negligendum post clysterem per os propinare ea, quæ *tormina nephritica* demulcent, viisque dilatant. Huic scopo optimè satis facimus exhibendo cerevisiam Roterodamensem, Wesepensem, *decoctum* rad. altheæ, liquiritiæ cum hordeo mund. *emulsionem* ex aq. hordei $\frac{1}{2}$ iij. sem. cucum. melon. aa. $\frac{3}{4}$ vj. amygdal. dulc. excort. $\frac{3}{4}$ jj. vel ex solo sem. cannab. $\frac{3}{4}$ iii. iv. add. expressioni syrup. altheæ Fern. papav. errat. aa. $\frac{3}{4}$ vj. vel albi $\frac{3}{4}$ ii. *julapium* ex aq. hordei $\frac{3}{4}$ xxiv. syrup. limonum. violar. vel cerasor. nigr. aa. $\frac{3}{4}$ jj. $\frac{1}{2}$ ii, addito spiritu vitrioli ad justam aciditatem. Oleum amygdal. dulc. recenter express. sine igne (alias sæpe febrem inducit) ad $\frac{3}{4}$ j vini rhenan. ad $\frac{3}{4}$ jj. syrup. capill. vener. $\frac{3}{4}$ vj. vel bolus, ut melius retineatur, ex oleo amygd. dulc. recenter express. cum saccharo cando, & nuce moschata.

§. 23. Dolore increscente ad *opiata* transeundum, quæ utiliter etiam sub vesperam dantur, ubi mane vomitorium, vel purgans exhibitum fuerit; ut ab eis inducta humoribus commotio rursus sedetur. Ut theriaca, mithridat. dia-scord. Frac. ad $\frac{3}{4}$ j. Syrup. papav. errat. albi, diacodium, Tinctura anodyna, laudan. opiat. &c. quibus pro diversis circumstantiis confect. alkermes, hyacinthor. & cætera cardiaca admisceri poterunt.

§. 24. Hisce viis sufficienter laxatis, & mitigato maximâ ex parte dolore, ad ea deveniendum, quæ *calculum* educere valent. Incipiendum tamen a lenioribus. Hunc in finem conducunt rad. eringii, ononis, petrosel. liquirit. herb. virga aurea, hederaterrest. adianth. capill. ven. cherefol. faxifrag. flor. sambuci. fruct. alkekeng. bacc. juniperi. sem. milii, milii solis, fraxini, nymphæ, petrosel. apii, dauci, carui, violar. ciceris rubri. Aquæ ex herbis & floribus prædictis destillatæ. balsamus juniper. copaivæ. therebinth. ol. juniper. succini, sal-saphras. spiritus nitri. conchæ ostrear. calcinatæ, sal succini, prunellæ. lap. judaic. nephritic. aselli præpar. &c. ex his componi poterunt mixturæ, decocta, pillulæ, pulveres &c. pro cuiusque ægri & Medici bene placito.

Ut à lenioribus incipiamus, detur vinum rhenan, cum succo limonum, vel acidorum arantiorum, & syrup. altheæ Fern. in largiori dosi. Vel therebinth. Venet. ad $\frac{3}{4}$ jj. cum vitello ovi subacta, additoque vino Hyspan. ad $\frac{3}{4}$ jj. syrup. quinque radic. ad $\frac{3}{4}$ ii. ita & sequens mixtura.

sc. aq.

Rx. aq. flor. sambuci 3v. (si visciditas vel flatus adsint, addi potest aq. foeni-
culi, vel petroselin.) oculor. cancri pulver. 3*lb.* vel 3*j.*

syrup. altheæ Fern. 3*vj.* spir. nitri agt. x. ad xx. misceantur.

Usus sit ter, quaterve de die ad cochlearj. i*j.* At si dolor ab eâ rursus exacerbetur moto aliquantulum *calculo*, ab ejus usu desistendum, vel loco oculor. Cancri admiscenda gr. ii. laudan. opiat. & emolliendum (quod probè notandum circa omnia *calculum moventia* adhuc recensenda) per clysterem ex juscule, lacte, vitello ovorum &c. & per os exhibita ut decoctum *Foreſti*, quod dum nimis spissum est ingredientia minuenda sunt. Hujus locum supplere potest decoctum ex rad. altheæ. petrosel. liquiritiæ, herb. veronica, capite papav. albi, addito colaturæ melle, vel saccharo, & sale prunellæ, vel emulsio ex semen. frigidis, papav. albi, & amygd. dulc. excort. addito syrup. papav. rhæad.

Decoctum tale sit. Rx. rad. ononid. eringii aa. 3*j.* liquiritiæ 3*lb.* herb. veronicae,
heder. terrestr. summ. virgæ aureæ aa. miſ. bacc. juniperi 3*j.* fruct. alkkekengi
3*lb.* sem. petrosel. daucia aa. 3*vij.* Coq. in f. q. aq. comm. ad fbij. colat. instil-
lantur spir. salis nitri gt. xxx, vel xl. detur usui sumendo bis vel ter de die
haustum.

Platerus prax. med. tom. II. cap. 12. laudat hæderam terrestr.: in aqua vitæ
infusam.

Si æger desideret *Pillulas*, illæ hoc modo formentur.

Rx. terebinth. Ven. ad consistentiam pillular. in aqua petrosel. coct. 3*vj.*
rad. saxifrag. pulv. 3*lb.* oculor. Cancer. præp. 3*vj.* troch. alkkekengi 3*j.*
f. massa, de qua formentur pillulæ magnitudinis pisii minoris. Usus
bis de die v. vel vi.

Si potius cupiat *pulveres*, in similem modum fiant.

Rx. Sem. nymphæ, petrosel. fraxini aa. 3*vj.* rad. liquirit. pulv. 3*j.* ol.
juniperi gt. xii. xiv. f. pulv. n. viii. æqual. usus unus, vel duo de
die cum convenienti vehiculo. Ad eundem scopum valde commendatur à
Mysicht liquor nephriticus in armam. med. chym. pag. 335. descriptus. Sic &
tinctura, ligni nephritici, vermium majalium. Item vinum malvaticum, in
quo silices igniti sèpius extincti sunt, propinetur bis de die ad 3*vj.*

§. 25. Hæc si *calculum* parum promoveant, præstat corpus ambulando,
assumpto prius aliquo prædictorum, movere. *Platerus* II. part. prax. cap. 12.
laudat *cucurbitulan* sine sacrificatione paulo sub doloris loco affixam, quæ
calculum loco movet, indeque semper secundum ureteris ductum cucurbitu-
lam mutando, & doloris sedi semper subaffingendo, donec ad vesicæ regio-
nem eventum sit, illum, ut in vesicam descendat, hac ratione promovet.
Quod si stranguria, pruritus, & tentigo glandis penis in viris, Urethræ in
mulieribus egressum molientis *calculi* signa parum urgeant; *Calculus* magis pro-
moveatur exhibitæ tincturæ antinephriticæ Amstelodamensi, vel elix. Nephrit.

Schro-

Schroderi in *Pharm. sua med. chym. lib. I. cap. L.* descript: Ac pubi imponatur *cataplasma ex cherefolio cocto*, & cum oleo scorpionum frixo.

§. 26. Si autem *calculus* neque diureticis lotium illi a tergo suffundentibus, unaque dolorosam tensionem blando madore laxantibus, nec cucurbitulæ affixæ tractioni auscultet: Locus conjecturæ est illum solito majorem, vel inæqualem esse. Quo casu danda opera, ut communiuatur, ac resolvatur. Hunc in finem ab *Helmont. tract. de Lithiasi cap. 7.* Laudarur ludus *Paracelsi*, hic (inquit) nempe est lapis laxifragorum apex, & calculosorum desiderium. *Unzerus tractat. de Nepritide* valde probat magisterium tartari vitriolati, oculor. cancri. & lapid. judaici. *Quercetanus tract. art. Med. pract. cap. ix.* verum specificum ad attritionem *calculi* statuit essentiam, seu liquorem Crystalli, & oleum camphoræ cum proprio menstruo paratum, & ad §. exhibitum cum vino albo, aut decocto, vel liquore aliquo diuretico. *Idem in consiliis de Nepritide* commendat spiritum vitrioli. Ita *Dom. Panarollus obs. 34. penitente 2.* refert se mulierem curasse, quæ duorum mensium spatio plus quam 400 calculos excrevit per meatum urinarium, differentis tamen magnitudinis, propinato spiritu vitrioli cum aquâ graminis ad aciditatem.

§. 27. His peractis paulatim vela contrahemus, & pergemus ad *præservationem*, qua quis se magnopere a *calculo* immunem servare potens est. Facilius autem est, ut cum *Seneca* dicam, excludere perniciose, quam rege-re, & non admittere, quam admissa moderari: Cum enim se in posse-sione posuerint, potentiora rectore sunt, nec recidi, minuive se facile pa-tiuntur.

§. 28. Qui igitur a *calculo* se *præservare* vult, operam dabit, tum ne col-ligat inimicam materiam, e quâ coagmentatur, tum ut ea fugiat, quæ re-nes debilitare possunt: Quod ut omnibus, ita imprimis præceptum volu-mus iis, qui vel ab ortu, vel aliquo casu debiles, quibus tanto magis omnis ob-servatio necessaria est, quanto magis obnoxia offensis est infirmitas. Hic *rerum nonnaturalium* vis maxima. Vitetur ergo aër crassus humidus, & nebulosus, itemque multis particulis salinis scatens. E contra eligatur pu-rus, serenus, temperatus, nullisque inquinamentis infectus. Pro egregio ad sanitatem conservandam remedio *alimentorum* electionem, moderatamque ingestionem (cum *Celso*) qui habet, sese bene habebit. In *victu* igitur a sal-fis, austoris, tartareum terrenumque succum præbentibus, & difficilioris concoctionis, iisque omnibus, quæ §. 7. culpavimus, abstinentium. Ut-ilis e contra victus moderatus, attenuans, boni succi, & facilis concoctionis, habitâ semper ratione intemperiei, & corporis constitutionis. Panis simila-gineus præfertur silagineo. Carnes convenienti mediocris ætatis tam affæ, quam elixæ: queaque condiantur cum rapis, rad. apii, pastinacâ, betâ, petrosel. cherefol. cichoreo, buglossa, boragine, cinamomo, nucemoschara

&c. Pisces sint saxatiles, & qui friabili sunt substantia. Juscula herbis enarratis alterata. Pulticulae avenaceae, vel e lacte ebutyrato recenti cum pane similagineo, ovi vitello, pomo acido dulci & vino rhenano. Decoctum milium, inter bellaria radic. raphani min. oblongi, armoraceae. Potus omnis sive vinum sit, sive cerevisia, sive aqua, limpidus esse debet, tenuis, & bene de fœcatus. Convenit imprimis vinum rhenanum, malvaticum, chalybeatum. Cerevisia lupulo, & herbis antenephriticis saturata, neomagensis. Helmont. tract. de Lithiasi cap. 1. valde extollit cerevisiam, cui semen dauci incoctum est. Conferunt etiam aquæ minerales, acidulae, & vitriolatae teste Riverio. Utilis est spiritus juniperinus rhenanus, sic hydromel, præsertim cum foliis ribesorum nigrorum paratum, emulsiones. Potus Coffe Thee, &c. Convenit hisce interdum instillare aliquot guttas elyx. Proprietat. ol. succini, juniperi, spiritus nitri. In germania mos est vernaculus contra calculum quotannis in majo bibere quotidie haustum liquoris ex betulae cæsurâ sollicitati, qui (referente Charleton. tract. de lithiasi) unius, aut alterius cyathi proportione, poculo cerevisiae bene lupulatae associatus certo spondet effectus ad lithiasis cautionem optabiles. Cibi & potionis quantitas moderata ad satietatem fere conductus. Nocet ingurgitatio, commendatur sobrietas. Exercitium prodest moderatum. Si quidem (ut ait Celsus) ignavia corpus hebetat, labor firmat. Imo & in exturbandis arenulis, quæ otio alioquin facile subsistunt, plurimum juvat. Ex adverso recte cecinit Naso IV. epistol. Heroid.

Quod caret alternâ requie durabile non est.

Hec reparat vires. fessaque membra levat.

Vigiliae, & somnus sint moderata. Excedant attamen Vigiliae somnum. Declubitus nunquam sit supinus, sed in alterutrum latus. Excreta, & retenta quantum possibile naturâ, vel arte voto respondeant. Alvus aperta, & lubrica servanda, si autem consultò strictior sit, mediis ei dicatis solvatur, si alicujus morbi soboles, is suo modo curetur. Mictio præterea sit semper libera, quæ ne impediatur, & inclinatio aliqua calculi, arenularumve emendetur, convenientiunt pillulae ex terebinth. Venet. in aqua petroselini ad consistentiam pillularum coct. 3j. oculor. Cancri pulv. lapid. judaici aa. 3b. fiat massa, cujus una pillula instar pisii singulis diebus sumatur. Hunc in finem utilis etiam est species dianitri, & nephritica Mysicht. ad 3j. singulis lunæ quadris cum conveniente liquore. Ita & plura alia in curatione recensita. Cæterarum corporis partium excrementa suis temporibus, & modis evacuentur. Venus licet sit moderata. Porro animi pathemata ita moderanda, ut neutrum illorum excessu suo vel minimam noxam seu lesionem corpori inferat. Careat igitur mens nostra densissimis mœroris, iræque caliginibus, quibus corpus dissolvitur, calor, & spiritus labefactantur, totius denique suavissimæ nostræ harmoniæ tonus frangitur.

Itaque

Itaque hæc tam breviter tractata esse sufficiat. Siquidem ea attigi, quæ attingisse necessum fuit: omnia vero, quæ recenseri potuissent, huc conserre, nec instituti mei, nec temporis ratio postulare videtur. Hinc tantum, & de quibus monet disputationis forma, eas solum adjungam.

POSITIONES.

I.

Cum m. s. variis particulis heterogeneis, tam facultate, quam proportione debite inter se mixtis constans accedente non libero transitu materiæ subtilis propter poros minus patulos, & magis resistentes naturaliter fermentetur. Sequitur, quod

II.

Sanguis quoquo modo a statu isto adeò desciscens seu facultate, seu mixtura, seu utraque, ut admittatur æther insolitus, fermentationem præternatantalem producat.

III.

Quam si sequitur pulsus debito modo, & debito tempore frequentior, febrem adesse dicunt Medici.

IV.

Essentia febris non consistat in calore, sed in perturbata
M. S.

V. Nes

Nec natura caloris solum consistat in majore motu particularum.

V I

Materia febrilis sit indefinita, & ad certas classes referri nequeat.

V I I.

Unde, & symptomata varia sunt, & in singulis individuis ratione sanguinis, temporis existendi, durandique insiginem patiuntur latitudinem.

V I I I.

Atque adeò cum præternaturalis illa sanguinis fermentatio variis de causis producatur, variis, & diversis modis ad naturalem reduci debet. Fluit hinc.

I X.

Non dari medicamentum antefebrile universale.

X.

Nec sola acida, vel salsa sufficere.

X I.

Nec solum frigidis utendum esse.

X I I.

Neque semper requiri excretionem sensibilis materiæ.

F I N I S.